

Wilfried Stroh

De poetarum veterum paupertate

Quis non novit illustrissimam illam picturam Caroli Spitzweg, qua *Pauper poeta* misere sub tegulis habitans demonstratur? Is ne propter vestes nimis tenues frigore prematur, in lecto sive stragulo quodam remanet; pollicem dextrae tamen cum indice incurvans a Musa sua apta numeris verba quaerere videtur. O infelicem poetam! Tam contemnunt homines tua carmina, ut te in tanta inopia iacere sinant!

An solum haec saecula nostra, quibus sic despectos habuerunt poetas? Immo iam antiquis temporibus paupertas sive inopia quasi hereditarium malum non paucos poetas secuta est. Nam Ovidium certe, cum ad Musarum caelestia sacra transiret, pater sic increpabat:

... *studium quid inutile temptas*
Maeonides nullas ipse reliquit opes.

Argumentum a maiori ad minus videtis: Si iam Homerus (propter patriam *Maeonides* vocatus) princeps ille poetarum pauper mortuus est, quis sibi a Musis divitias speret? Unde id acceperit ille Nasonis pater nescio. Fortasse audiverat Homerum carmina quaedam epica minora generis suis dedisse, ut pro hac dote suas filias in matrimonium acciperent. Quod vix fecisset, si veriores divitiae suppetivissent.

Nec tamen omnes poetae, ut verum fateamur, hoc modico victu contenti erant. Excipiendi certe sunt lyrici illi, qui inde a saeculo septimo in Graecia florebant. Nec nunc de Sappho dico, quae certe salario medocri puellas lyram docebat, sed praecipue de illis lyricis, qui magnatum et athletarum laudes per chororum cantica celebrabant eaque ut immortalia omnibus divitiis potiora praedicabant. Vendebant igitur pretio sua carmina, ut ipsi quasi nummos fragiles pro gloria sempiterna acciperent. Unde audimus de vera avaritia Simonidis. Ditissimus autem omnium extitisse dicitur Pindarus, qui non semel eos, quibus scribit, admonet, ut benignos se poetis praestent, ne silentibus illis mortis oblivione obruantur.

Primus autem Callimachus, quantum novimus, de sua paupertate questus est, non ille quidem, quod vera penuria premeretur, sed quod patrimonium ad conciliandos sibi pueros bellos non satis sufficere videbat. Fuit enim ille, ut etiam lyrici plurimi, puerorum amator; quos aurea dona muneribus Musarum praefere moleste ferebat. Hunc ut exemplum nobile secuti sunt elegiaci Romani, qui ubique de muneribus rivalium ditium indignantur. Semel Propertius gloriatur, quod sua Musa omnia dona superaverit:

Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
sed potui blandi carminis obsequio .. .,

in ceteris omnibus ne immortalitem quidem per carmina partam Cynthiae amicae tanti esse dicit quam pecuniam aliorum. Vnde credamus necesse est eum pauperiorem fuisse, etsi a Maecenate sustentatum veri simile est. Nam quod Tibullus quasi philosophus initio libri primi sese iactat: *Divitias alius fulvo sibi congerat auro*, et paulo post: *me mea paupertas vita traducat inertis* – ea paupertas qualis sit, ex eadem elegia cognoscitur: habuit ille poeta suos agros satis largos, ut divitias e bellorum praedis quaesitas despiciere possit. Idem tamen Callimachum secutus, quasi pauper sit, pueros venustos (e persona Priapi) admonet:

Pieridas pueri doctos et amate poetas
aurea nec superent munera Pieridas.

Ovidius autem hunc locum facetissime tractat, ut risum magis quam misericordiam e paupertate sua quaerere videatur. Nam in prima elegia, qua amicam suam alloquitur, cum se equitem Romanum gloriatus sit, statim ne divitem se puella credat et munera exspectet,

subiungit se parce haberi a parentibus. Ergo postea ubique in *Amoribus* more iam solito invehitur in pecuniam vero amori inimicam. In *Arte amatoria* autem eodem more ac Tibullus puellis poetas commendat: *nec amor nos tangit habendi. Hic chorus ante alios aptus amare sumus. A doctis scelus est pretium sperare poetis* – satis iam persuasisse videtur, sed addit: ... *scelus hoc nulla puella timet*. Quod cum usu doctus dicat, non eum misere pauperem fuisse discimus.